UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm Tomvs ...

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Descriptio boni Religiosi, proposita ad imitatione[m], illis, qui secesserunt ad Octiduanam Recollectione[m]. Cap. XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-78809

Visual Library

exercitiis &c. æterna meditatur, vt tranſeuntia fugiat, cordis ſtudet munditiæ, innocentiæ candorem ſectatur, conſcientiæ paci inuigilat, puritatem ſeruat, feruorem nutrit, eleuationi mentis innititur, omniq; peccato reluctari contendit, vt puram in ſe Dei cuſtodiat imaginem, & incontaminatam ſe tribuat illi, cuius eſt. Talibus enim exercitiis mentis reformatur claritas, Verbi fulget imago, & interioris hominis apparet gloria. Ibi libenter declinat Verbum, vbi ſuam intuetur ſimilitudinem.

Da igitur operam, vt imago animæ tuæ, & omnes actiones, ſenſuum ac membrorum corporis tui, ſint quàm ſimillimæ Verbo Incarnato, vt libenter in te habitet, tanquam in pulcherrimo opere manuum ſuarum, & ſuauiſſimo fructu meritorum ſuorum. Quod vt aſſequaris, coneris habere in te illas virtutes, inter alias,

189. quæ magni fiebant à Domino in S. Gertrude l.1.3.4.p. 23.Inſin. diu.piet. Virgine Ordinis S. Benedicti. De quâ cùm quędam admirans dixiſſet: *Quid ô Deus Amor in hac* (Gertrude) *perpendis, quòd tanti facias illam in te ipſo, erga quam etiam adeò ſuauiter appoſuiſti cor tuũ? Reſpondit Dominus: Pietas mea gratuita ad hoc me cogit, quæ in animâ eius ſingulari dono continet perſiſtitq; in quibus præcipuè delector, quinque virtutes. Habet enim in ſe puritatem, ex continua gratiæ meæ influxione; habet humilitatem, ob multiplicem donorum meorum magnitudinem. Quantò enim ego operor in illâ maiora, tantò ſe ad ima humilitatis per infirmitatis ſuæ cognitionem deprimit. Habet præterea veram benignitatem, quâ omnium ſalutem, idque ad meam laudem deſiderat. Habet denique veram fidelitatem, vtpote omnia bona ſua ad laudem meam integro corde, in ſalutem vniuerſitatis hominum generalem communicans.* (ſcilicet manifeſtans Dei dona extraordinaria & valdè magna: quod tamen ne imiteris ſuadeo, dum es in hoc ſtatu tepiditatis, illa enim ſancta & feruentiſſima non proprio vel vanæ gloriæ inſtinctu, ſed expreſſo Dei monitu, id faciebat: vt patet ex eius vitâ, idque Chriſtus Dominus probauit l.2.c.10. & lib.3.c.64. & l.4.c.56. & l.5.c.35. & 36. præſertim l.1.c.5. & 16. Inſinuationum Diuinæ pietatis) *Poſtremò veram poßidet Charitatem, quia toto me amat corde, totâ animâ, totiſq; viribus, & proximum ſicut ſeipſam propter me.* Et infrà paginâ 25. fin. *Hæc*, ſcilicet Gertrudis, *pro quâ tu oras, columba eſt mea abſque felle: quippe quæ omnis delicti amaritudinem non aliter atque fellis à corde ſuo proiicit. Ipſa mihi lilium eſt electum, quod manibus meis portare affecto, ſuprema nãque eſt mihi voluptas delicioſaq; in animâ huiuſmodi caſta ac pura morari. Ipſa Roſa denique eſt mea ſuauiter olens. Patientia namque & in cunctis aduerſis eius gratiarum actio, ſuauiſsimum mihi inferunt odorem. Ipſa præterea mihi flos eſt vernans ac ſemper virens, in quem reſpiciendo oculis meis, perquàm iucundam haurio amænitatem. Retinet enim ac fouet ingens in me deſiderium ac ſtudium non ſolùm virtutum, ſed etiam vniuerſæ perfectionis. Poſtremò ipſa eſt cunctis cœlitibus dulcis ſuauiſonaq; harmonia, quam efficiunt omnes illæ, quas adeò æquanimiter fert, aduerſitates, veluti tintinnabula aurea in coronâ meâ ſuſpenſa.* Et l.3.ep.151. S. Iſidorus Peluſiota, S. Chryſoſtomi diſcipulus, ad Alphium Epiſcopum ſic ſcribit: *Ingenuæ animæ notæ ſunt, à dolo abhorrere, ſuauem, humanum, fortem, iuſtum, pudicum, ac temperantem eſſe, indulgenter ſe ad inferiores demittere, lenitati & beneficentiæ ſtudere, iudicio, non gratiâ & fauore ſuperare ac decernere, aliaq; his affinia. Seruilis contrà, contrariis affectibus ſubiectum eſſe, probamq; omnem cogitationem ex ſeipſo expellere atque ablegare.* Et alio in loco, ſcri- l.3.epiſt. 163. bens Martyrio Presbytero, ſic ait: *Pietatis duplex eſt modus, vnus ſanctiſsimus maximeq; diuinus* (Græcè cum maiori emphaſi loquitur, θειότατ@) *in anima: pulcherrima enim hæc victima eſt, Deoq; inprimis grata,* (ἱερεῖον θεῷ προσφιλέστατον) *mentem piam habere, diuinæq; præſentiæ ſibi ſpeciem fingere,* (φαντάζεσθαι) *atque in animæ delubro fixam & ſtabilem tenere. Alter in corporis caſtitate. Nam qui his duobus modis deſtitutus eſt, nec ſi pretioſiſsimos terræ theſauros offerat, aut omnia ea animantia, quæ legis præſcripto immolabantur, adhibeat, gratiam apud Deum initurus eſt.*

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

Deſcriptio boni Religioſi, propoſita ad imitandum illis religioſis, immò ſuo modo ſacerdotibus aliis, qui ſeceſſerunt ad octiduanam Recollectionem.

CVm Chriſtus Dominus pro omnibus, etiam ſecularibus, dixerit: *Eſtote perfecti ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*, proderit ponderare ſuauiter, inter horas meditationum, ea quæ Sancti ſcripſerunt, deſcribentes perfectos Monachos, ſeu Religioſos, vt ad eorum perfectionem perueniant religioſi, & alij viri ſpirituales.

Imprimis in vitis Patrum ſic in Monacho bo- 190.
no quiuis bonus Religioſus deſcribitur: *Dixit* L.5.libel. 1 nu.22. Roſw.p. 563.n.22. Pſal.96.
quidam ſenex: vita Monachi hæc eſt, opera, obedientia, Meditatio, vt non iudicet, non obloquatur, aut non murmuret. Scriptum eſt enim: Qui diligitis Dominum, odite malum. Monachi vita hæc eſt, non ingredi cum iniuſto, neque videre oculis ſuis mala, neque curioſè agere, neq; ſcrutari, neq; audire aliena, neque manibus rapere, ſed magis tribuere, neque ſuperbiæ corde, neque cogitatione malignari, neque ventrem implere, ſed cum diſcretione omnia agere. Ecce in his eſt Monachus.

S. Ioannes Damaſcenus in vitâ SS. Barlaam cap.38. & Ioſaphat: *Hoc verè Monaſtici Ordinis munus eſt, nunquam ſpirituali opere vacuum inueniri.*

In vitis Patrum, *dixit Abbas Hyperichius: Vita* L.5.libel. 11.n.36. Roſw.p. 611.n.36. *Monachi, iuxta imitationem Angelorum fiat, comburens atque conſumens peccata.*

Ibidem *Abbas Moyſes commonebat Fratres, dicens:* Ruff l.3. num.196. Paſch.c. 35.num.1. Roſw.p. 529.num. 196. *Quatuor ſunt Monacho principalia obſeruanda: id eſt, Tacendi, ſeruandi mandata Dei, humiliandi ſemetipſum, & anguſtia paupertatis.*

S. Ioannes Climacus, *Monachus*, inquit, *ita virtutibus affectus eſt, vt eſſet voluptatibus alius.*

Idem

Clim. gr. 14. Id. gr. 2. Idem alibi : *Attendamus nobis ipſis, ne fortè dum anguſtam & arduam viam nos pergere aſſerimus, latam & ſpatioſam teneamus, noſq; ipſos ſeducamus. Anguſtam tibi viam indicabit ventris afflictio, panis inedia, ignominiæ ſalubre & purgatiuum poculum, ſubſannationes, irriſiones, ludibria abſciſſiones propriarum voluntatum, offenſionum tolerantia, contemptus noſtri, murmurationis toleratio, vim ſibi in tolerando contumelias inferre, iniurias fortiter perpeti, detrahentibus non indignari, contemnentibus te non ſuccenſere, condemnantibus humilitatem exhibere. Beati qui prædictam viam pergunt, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.*

gr. 1. Idem alio in loco : *Monachus eſt ordo & ſtatus Angelicus in corpore materiali & ſordido conſummatus. Monachus eſt perpetua naturæ violentia, ſenſuūq; vigilantiſſima & indefeſſa cuſtodia. Monachus eſt, caſtificatum corpus, expiatum os, animuſq; ſemper Diuino lumine irradiatus.*

Idem gr. 3. *ſit noſtra ſeceſſio ad eas partes quæ humiliores ſunt, & minùs celebres, & ab omni conſolatione ſeculi remotiores.*

Idem gr. 1. *Quis eſt fidelis & prudens Monachus? qui feruorem ſuum ſeruauit inextinguibilem & in dies vſque ad finem vitæ ſuæ ignem igni adiicere, feruorem feruori, deſiderium deſiderio, & ſtudium ſtudio nunquam deſiit.* S. Chryſoſtomus ſeculares ſuos tales vult eſſe, quantò magis Religioſis id congruit? h. 5. in Geneſ. *Quotidie de bonis operibus vos admonere cupimus, vt perfecti, conſummatis virtutibus prædita vita ſpectabiles facti ſitis, irreprehenſibiles & ſinceri immaculati filij Dei, & luceatis ſicut luminaria in mundo, ſermonem vitæ* (non nugarum, ſcurrilitatum, facetiarum) *habentes, in noſtri gloriationem in die Chriſti: vt vel ſolo aſpectu his propoſitis, qui vobiſcum verſantur ac veſtræ ſpiritualis fragrantiæ, veſtræque optimæ vitæ, ac bonæ conuerſationis ſint participes.*

orat. 12. S. Gregorius Nazianzenus ſuæ ætatis Monachos tales fuiſſe ſcribit: *Horum opes ſunt in paupertate, poſſeſſio in peregrinatione, gloria in contemptu, potentia in infirmitate, fœcunditas in cœlibatu. Qui delicijs minimè ſtudere, pro deliciis habent; qui Regni cæleſtis cauſa humiles ſunt: qui in mundo nihil habent, & ſupra mundum exiſtunt : qui in carne extra carnem viuunt: qui pro portione Dominum habent: qui propter Regnum* (ſcilicet cæleſte) *inopia laborant, & propter inopiam regnant.*

ſer. 12. in Cant. S. Bernardus : *Si ſis pronus compati, ſubuenire promptus, dare quàm accipere beatius iudicans, ignoſcere facilis, iraſci difficilis, vlciſci penitùs non acquieſcens, & per omnia proximorum æquè vt proprias reſpiciens neceſſitates. O quæcunque es anima ſic affecta, ſic imbuta rore miſericordiæ, ſic affluens pietatis viſceribus, ſic te omnibus omnia faciens, ſic facta ipſa tibi tanquam vas perditum, vt cæteris præſtò vbique ſemper occurras atque ſuccurras, ſic denique mortua tibi, vt viuas omnibus, tu planè optimum pietatis vnguentum felix poſſides, & manus tuæ diſtillauerunt totius ſuauitatis liquorem. Non exſiccabitur in tempore malo, nec feruor perſecutionis ebibet illum, ſed ſemper Deus memor erit omnis ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pingue fiet &c. Tu quoque ſi donum quod deſuper accepiſti, nobis contribulibus tuis libenter impertieris, ſi te exhibeas vbique inter nos officioſum, ſi affectuoſum, ſi gratum, ſi tractabilem, ſi humilem, teſtimonium habebis ab omnibus quod fragres & ipſe vnguentis optionis.*

B. Laurentius Iuſtinianus: *Anima, quæ ſortita eſt gratiam, vt ſponſa cenſeatur, & ſit, ſtudet grauitatem cuſtodire in moribus, innocentiam ſeruare in corde, fraternitatis tenere vnitatem, compaſſionem adhibere afflictis, loquacitatem taciturnitate compeſcere, edacitatem ſobrietate reſtringere, elationem humilitate ſuperare, ſe odientes diligere, nullo inuidiæ morderi aculeo, nocere nemini, nulli detrahere, ſed vniuerſos tanquam ſe dulci complecti dilectionis affectu, inimicis beneſacere, pro perſecutoribus exorare.* de vita ſol. c. 18.

Et alibi. *Studeat in omnibus gratias agere, gloriam Maieſtatis Diuinæ concupiſcere, ipſamque in verbis, in moribus, in conuerſatione, & cunctis operibus ſuis exhibere laudabilem. Planè nullum hoc ſacrificium maius, nullaque oblatio* (ſcilicet ex opere operantis) *eſt iſta acceptior, per hanc vtique ſancti homines, ſpiritualibus chariſmatibus decorati, Deo placere ſtuduerunt, ipſius gloriam & honorem nominis eius mercedem propriam arbitrantes.* prol. de inſt. & regim. Prælat.

Idem alio in loco: *Quantò ignis eſt vehementior, tantò ſuum latiùs diffundit ſplendorem pariter & calorem: ſic quæ Verbi ſponſa eſt legitima, profuſiùs aliis ſuæ ſanctitatis ſpargit calorem & morum ſplendorem. Ex ipſius ſiquidem virtutum perfectione, ſecernitur à cæteris, ac præ cæteris commendabilior iudicatur. Eſt namque in moribus circumſpecta, in verbis grauis, in agendis prouida, in facie hilaris, in exhortando humilis, in corripiendo recta, in perferendis malis læta, in orationibus crebra, in Diuinis laudibus iucunda, in compaſſione procliuis, in animo ſerena, in conſiliis matura, in humanis placida, in Diuinis ſuſpenſa, in corpore velut in carcere detinetur, in cælo mente ac deſiderio conuerſatur. Talis eſt verbi ſponſa, & huiuſmodi virtutum ſplendoribus rutilat amica Sponſi, & filia Hieruſalem.* de caſto connub. cap. 11.

Addam hoc loco monita in quodam raptu data, iuſſu Beatiſſimæ Virginis Mariæ, à S. Maria Magdalena, S. Franciſcæ Romanæ, dicenda Confeſſario illius, Ioanni Matiotto, pro directione filiarum ſpiritualium illius, perfectè viuere cupientium. Exprimunt enim præcipuas proprietates, quas Religioſus & quiuis perfectionis ſtudioſus habere debet : *Illæ animæ quæ volunt perfectè ſe dedicare Deo, & hanc viam ingredi, debent eſſe fundatæ in verâ fide, & perfectâ humilitate, & ſpoliare ſe rebus omnibus, & ponere totum amorem & affectum ipſarum in Deo & Saluatore. Debent habere cor purum, manum innocentem, & conſeruare ſe in manſuetudine: in omni re quam facere debent, ſint excellentes* (ſegnalate) *in continentiâ, & fiduciam habeant in Deo, qui illas creauit. Debent habere animum generoſum, & pacificum, & promptum ad ſeruiendum; quia vita virtuoſa in obedientia quieſcit, & ac ſi eſſet mortua, ad vocem obedientiæ viua incedit.* l. 4. vit. cap. 3.

Obediens inſtar eſt ſagittæ, quæ poſita in manu(del baleſtiere)*ſagittarij, permittit ſe duci & tractari, prout ille vult, & emiſſa ex arcu, aliud non prætendit, niſi vt perueniat cum feruore illuc quo dirigitur à ſagittario: & ſtrepitu quem edit, dum velociter volat, patefacit ſibi viam latam, nec vllus audet impedire eius volatum, nec quieſcit, donec pertingat ad ſuum ſcopum. Sagittarius*(Arciero)*eſt obedientia, quæ aliud non reſpicit, niſi voluntatem Dei, & aliud non prætendit, niſi vt faciat peruenire animam ad terminum ſuum, qui eſt Deus, & in Deo ſiſtere illam cum Chriſto. Requiritur cum illâ, vera charitas, quia hæc virtus velociter facit animam capacem ſummi boni.* Hæc omnia deſcribunt bonum Religioſum & virum ſpiritualem, qualis eſſe debeat, & quo collimare debet cum Deo agens in octiduanâ collectione.

Quòd ſi quis à me quærat, qualem putem eſſe bonum Religioſum, ſed non tantùm Religioſum, verùm etiam perfectum ſacerdotem & Laicum ſecularem ? (exceptis quibuſdam, quæ ſunt Religioſorum propria & ad ſeculares non ſpectant) hæc mihi videntur neceſſaria:

Erga Deum quatuor F. ſeruanda ſunt accuratè.

I. FVgere omnia ea quæ Deo diſplicent, ſcilicet peccata & quaſuis imperfectiones, ac violationes Regularum.

II. Facere diligenter purâ intentione omnia quæ Deo placent, vti ſunt omnia opera noſtra ordinaria & quotidiana.

III. Ferre æquo animo omnia quæ diſplicent amori proprio, tanquam à Deo immiſſa (ſi mala non ſunt) vel permiſſa, vti ſunt iniuriæ verborum vel factorum ab aliis illatę, reprehenſiones, pœnitentiæ, licentiæ negatæ, accuſationes falſę vel inordinatæ, per recurſum ad Superiorem mediatum, omiſſo immediato, ſine iuſta cauſę, diſpoſitiones Superiorum de nobis, quoad officia, & occupationes, & habitationem, & ſimilia contra guſtum noſtrum.

IV. Ferri ſemper ad perfectiora eligendo inter duo opera perfecta, illud quod perfectius eſt, & inter duo ęquè perfecta, id quod eſt coniunctum cum maiore humiliatione, vel paupertate, vel confuſione, & conformius vitę Chriſti tot iniuriis exagitatæ.

Erga Superiores quatuor N.

I. NVnquam pete ab vllo Superiore occupationem ſpecialem (ſi id à te Superior non exigat) ſed te committe Diuinæ prouidentiæ per Superiores tuos circa te declarandæ.

II. Nunquam improbes facta & dicta Superiorum, & diſpoſitiones, quas faciunt in officio ſuo de perſonis & rebus.

III. Nunquam te excuſes reprehenſus ab eis, niſi ipſi te interrogent, & velint à te informari de rę de quâ es accuſatus, niſi fortè talis ſit res, ob quam niſi te verè excuſares, poſſes dimitti ex tuo Ordine, vel ſi magnum impedimentum Diuinæ gloriæ ſequeretur ex omiſſa excuſatione.

IV. Nunquam detrecta vllam occupationem tibi à Superiore iniunctam, nec ægrè feras, ſi te mittat, quò non velles te eſſe miſſum, etſi nullam occupationem certam tibi aſſignet. Sicut non ægrè ferres, ſi Deus certò viſibiliter tibi apparens, ita de te diſponeret quoad omnia, quomodò diſpoſuit Superior eius Vicarius, & eius voluntatis interpres.

Erga Domeſticos quatuor N.

I. NVnquam cenſures mente & ore, dicta, facta, intentiones, omiſſiones, domeſticorum, ſed excuſes omnia ex charitate.

II. Nunquam de abſente quicquam dicas, quod non diceres de tuo caro amico, & quod de te in ſimili occaſione dici nolles.

III. Nunquam facto, vel verbo, vel geſtu offendas aut contriſtes fratrem tuum.

IV. Non excuſes te, quando aliquid rationabile petit à te, ſed iuues illum & facias, quando potes facere ſine violatione vllius Diuinæ vel humanæ legis.

Erga Externos quatuor N.

I. NVnquam vlli externo quicquam dicas, quod nolles à te dictum, ſi putares illum aliquando fore tuum, vel tui Ordinis vel Congregationis inimicum.

II. Nunquam vlli externo famulum, vel ancillam pro ſeruitio, vel ſponſam pro vxore concilies, quod vehementer cauit S. Ambroſius & S. Auguſtinus.

III. Nunquam quicquam dicas vel facias in alienâ domo, quod poſſit etiam ſpeciem mali & ſcandali præbere domeſticis.

IV. Nunquam offeras operam tuam ad tractanda externorum negotia, quæ putas non placitura Superioribus tuis.

Erga te.

I. IN cubiculo tuo ita in omnibus actionibus te gere, & in modo eas peragendi, in quo non erubeſceres te inueniri, à ſuperueniente Superiore, vel aliquo viro graui.

II. Da operam, vt ſic perfectè viuas, vt ſis paratus mori ſemper morte ſubitaneâ, ex improuiſo & Confeſſario non indigens.

III. Conare, vt in fine hebdomadæ cuiuſuis (ſi non potes in fine diei) inuenias & agnoſcas te profeciſſe in aliquâ virtute.

IV. Peculiari ſtudio procura, vt omnes temporis partes tranſigas in operibus meritoriis vitę

vitæ æternæ , ac proinde omne otium fugias, & occupationes etiam bonas , ſed ad præſentem tuum ſtatum non neceſſarias , nec illi vtiles.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM:

Adferuntur cauſæ, ob quas in multis non apparet , vel non diu durat fructus Exercitiorum , ſeu Octiduanæ Collectionis.

NOtandæ ſunt cauſæ , ob quas multi poſt
Exercitia facta , vel non emendantur , vel
non diu ſeruando bona propoſita, ardenti licet
animo in Exercitiis facta , redeunt ad priſtinam
Ber.ep.2. tepiditatem,& vt loquitur S. Bernardus , & B.
col.4. Laurentius Iuſtinianus,*à Sapiente ad indiſciplina-*
Iuſtin.de *torum conuerſationem* , hoc eſt, viuendi rationem
humil.c. imperfectam & laxam.
19.col.3.

Cauſæ ſunt hæ:

191. PRima. Si meditationes non ſint factæ cum
Eccli.7. totali applicatione animi,ad eas benefacien-
16.c.22.5. das:quæ applicatio ſi deſit,impoſſibile eſt vt be-
nè fiant. Signum autem infallibile malæ applicationis eſt ſi ſine debitâ præmiſſa præparatione,incipiat ſuas meditationes , ſi temporis particulas,quas in lectione pia,vel ſuauibus conſiderationibus nouis , aut meditationis punctorum ruminatione,tranſigere deberet,in otio vel cogitationibus impertinentibus traducat , vel lectione librorum etſi piorum , magis tamen curioſitati explendæ, quàm piis affectibus excitandis ſeruientium tunc ſe occupet , ſi ſilentium eo tempore non ſeruet : ſi curioſitati oculorum , ad aſpiciendas res non neceſſarias indulgeat : ſi in aliis occupationibus manualibus tunc non neceſſariis tempus terat : qui talis eſt, ni Deus poſteà miraculosè , vt ita dicam, illi ſuccurrat , tam erit poſt meditationes peractas tepidus & imperfectus,ſicut fuit anteà:ſæpè verò,iuſto Dei iudicio , peior in pœnam peccati, quòd tam excellenti medio ſibi à Deo dato abuſus ſit , cum offenſis his Diuinæ Maieſtatis. Nam ſi in ſtudiis non proficit is , qui ſe ad ea non applicat, habens bonum ingenium & ſanitatem, cùm tamen profectus in literis non ſuperet vires naturæ , multò minùs proficient in effectu meditationum , & in ipſis meditationibus,quæ præter naturæ applicationem , neceſſariò indigent ſupernaturali concurſu , eoque multiplici, auxiliorum Diuinæ gratiæ , tum ad benè meditandum & orandum , tum ad ſuperanda tædia , ſolitariæ per plures dies commorationis , tum ad concipienda bona propoſita, de reſecandis multis peccatis & imperfectionibus amori proprio iucundis, & de inſerendis multis virtutibus , & neglectis anteà, vel malè exercitatis,& de neceſſaria omnino quoad hæc magna ſui victoriâ , & eradicatione prauarum affectionum, ex quibus omnes noſtri defectus naſcuntur,& ſtudium virtutum, vel negligitur, vel languidè exercetur , & ſine vllo vlteriore progreſſu. E contrario verò dum meditationes cum magna animi applicatione fiunt,incredibiliter mutant hominem , eique Dei auxilia
magna conciliant, ad vitæ renouationem. *Is*
enim Domini mos eſt,inquit S.Chryſoſtomus , *vt*
quoties videt animam aliquam multo deſiderio prom- 192.
ptitudineque intentam ſpiritualibus inhiantem,libera- h.4.in
liter illam gratia,& opulentis donis ſuis locupletet. Geneſ.

Secunda cauſa , Malus vſus temporis in Exercitiis. Nam etſi quis benè Meditationes expediet,ſed reliquum tempus non benè,non ſperet (citra miraculum) diuturnum ex Exercitiis fructum.Malè autem tempus expenditur,ſi extra tempus meditationum vaces ſtudiis Philoſophicis vel Theologicis(multò peius ſi humanioribus) vel colligendis materiis pro concionibus & his ſimilibus. Hoc experientia perpetua oſtendit in talibus. Ita poſt Exercitia ſunt tepidi ſicut fuerunt anteà, imò ſæpè peiores & magis diſſoluti.

Tertia cauſa eſt , Difformitas occupationum 193.
intercedentium inter horas Meditationum.
Exempli gratia : Si quis tunc occupet ſe etiam in bonis rebus,ſed non congruentibus materiæ præſentium Meditationum. Vt ſi quis tunc vacaret deſcribendis vel legendis rebus bonis, diſparatis tamen , & non iuuantibus,ad executionem bonorum propoſitorum in præſentibus materiis factorum , talis non aſſequeretur plenè fructum Exercitiorum , & non retineret diu bona propoſita,etſi benè in Meditationibus accuratè expeditis facta , ſed citò poſt Exercitia rediret ad priſtinam tepiditatem , vel languorem quendam in ſtudio virtutum,qui tamen eſt minus malum quàm tepiditas , quæ eſt mater apertæ negligentiæ in vita ſpirituali. Hanc ob cauſam S.P. Ignatius Additione ſexta,vult tempore Meditationum proportionatas iis fouere cogitationes,& in primâ hebdomada vitari etiam pias cogitationes lætitiam excitantes. Et Annotatione vndecima monet , ne qui facit Exercitia , ſciat qua de re ſit poſteà meditaturus in ſequenti hebdomada : vt ne remotè quidem abſtrahatur ad diſparatas cogitationes,nō conuenientes præſenti ſtatui & materiæ Meditationum. Tanti refert fouere conformes cogitationes extra Meditationem materiæ præſentium Meditationum.Quam ad rem accommo-
dari poteſt id quod dicit S. Gregorius Nyſſe- 194.
nus: *Quod improprium eſt, & alienum , præterquàm* or.3.de
quod nihil prodeſt,res eſt inordinata , incompoſita at- Reſurr.
que abſurda,non ſolùm in iis orationibus , quæ de Reli- Chriſti.
gione ac pietate habentur , verùm etiam in externis &
iis quæ ad mundanam pertinent ſapientiam. Quis